



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronicon Cisterciensis Ordinis

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

59. Vt Omnes Fratres Ad Secretum consilium non vocentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11259

Regulæ diligenter obtemperauerit, tunc si Magistro & fratribus eius recipere placuerit, conuocatis fratribus, desiderium & petitionem suam cunctis animi puritate patefaciat: deinde verò terminus probationis in consideratione & prouidentia Magistri, secundum honestatem vitæ petentis, omnino pendeat.

**59. VT OMNES FRATRES AD SE-
cretum consilium non vocentur.**

Non semper omnes fratres ad consilium conuocare iubemus, sed quos idoneos & consilio prouidios Magister cognouerit. Cum autem de maioribus tractare voluerit, ut est, dare communem terram, vel de ipso ordine disceptare, aut fratrem recipere, tunc omnem congregationem, si Magistro placet, conuocare, est competens; auditoque communis Capituli consilio, quod melius & utilius Magister considerauerit, illud agatur.

**60. QVOD CVM SILENTIO ORA-
re debeant.**

Orare fratres prout animi & corporis affectus postulauerit, stando vel sedendo, tam summa cum reuerentia, simpliciter, & non clamose, ut unus alium non conturbet, communi consilio iubemus.

**61. VT FIDEM SERVIENTIVM
accipiant.**

Agnouimus nempè complures ex diuersis pre-